Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 8ma

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

cadere possit. Unde qui consultat de pluribus bonis, is inter se comparat in ordine ad bonitatem aliquam, illis sibi communem, in qua omni bonitate illa ea conveniunt, et consequenter jam habet voluntatem propensam erga bonum, in quo illa conveniunt. Similiter qui consultat de ultimo fine in hac vel illa re constituendo, itidem supponit intentionem et appetitionem sui ultimi finis, seu supremae suae felicitatis, et ita reale finis habet, quaerendum alicujus medii utilis ad illam felicitatem consequendam.

Conclusio 3tia. Consilium versatur tantum circa illa media, quae sunt, quae apprehenduntur esse res, vel per nos immediate, vel mediante nostra industria agendo per alios, obtinendae consilium; nam ut Aristoteles inquit: nostra sunt, quae nostro studio aut industria per alios fiunt. Ita omnes cum S. Th. ar 3. et 4. Quaestio 8. quid et circa quid sit consensus.

Quaestio 8va

Quid & circa quid sit consensus

Postquam homo per illam viam potius consultavit, quaenam media ad praeintentum finem obtinendum sint assumenda, sequitur eiusdem consultationis in voluntate acceptatio, quod consensus dicitur obiter.

Notandum: variam esse hujus vocabuli Consensus notionem. Primo sumitur pro conspiratione assensus,

7°

aut judicii sive speculativi sive practici, plurium tamen de una re sed in illud judic. chorenthz: qui nisi forte ex consensu ad ijs. Et hoc modo sumitur consensus proprie & favere ad solam electionem.

2do pro quovis immanente actu voluntatis libero sive is versetur circa finem, sive circa media, adeoque circa bonum propter se aut propter aliud appetibile, quo sensu dividunt Theologi pravos affectus in consensum in delectationem, & consensum in opus, qua de re infra.

3tio sumitur stricte pro solo actu illo, qui est acceptatio eius, quod judicatum est consilio, tamquam utile fini consequendo; & de isto consensu hic.

Conclusio 1ma consensus est actus interior & elicitus a voluntate. Ita cum S. Tho. hic ar. 1. ratio est. Consensus nihil est aliud, quam acceptatio quaedam eorum, quae utilia judicantur ad finem; atqui voluntas, quae acceptat: nam acceptatio hoc involvit complacentiam de rebus, quae utique non ad aliam quam ad appetitivam pertinet potentiam.

Conclusio 2da. Consensus proprie est tantum de medijs cum S. Th. a. 3. Ratio est de ijs tantum est consensus, de quibus est consilium, atqui consilium de solis medijs esse potest, ergo.

Conclusio 3tia in brutis proprie non potest esse consensus. S. Th. a. 2. Ratio quia bruta non sunt capacia cognitionis finis & mediorum, eo quod non possint agere proprie propter finem ergo neque consensus proprie in illis invenitur. Quaestio 9. quid & quorum sit electio.